



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.3. Crucem etiam nundam & solatij expertem, Christi exemplo,
amplexandam esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

crucifixo affligi, quàm periculosi delicijs affluere. Quapropter ex hujus S. Doctoris aliorumq; Sanctorum sententiâ, conficere licet quod agebamus: animæ nimirum Christum crucifixum purè amanti, dulciculos illos, tametsi spirituales sensus, cum absunt, requirendos non esse: cum adrem autem, cavendum sedulò, ne illis capiatur animus; eodémq; potiùs veluti suspectos atque periculosos, cavendos ac defugiendos esse. Nisi fortè (ut scitè excipit B. Magdalena de Pazzis) ij sint hujusmodi, qui ad crucis amorem & laborum patientiam nos excitent. Alioqui enim ipsa negabat eos per sese optandos esse: addens, Deum non inveniri in his suavitatibus, sed in vera virtute: hanc autem non acquiri dulcedine, etiam in rebus spiritualibus, sed locum & tanquam sedem veræ virtutis esse, in arumis, angustijs, & summè intensa magnarum vexationum acerbitate.

Fit. p. 4. c.
3.

§. 3.

Crucem etiam nudam, & solatij expertem, Christi exemplo amplexandam esse.

HÆc igitur eo consilio dicta sint, ut (quod durum quidem ac difficile, sed heroicæ virtutis genus est) ex Christi Salvatoris imitatione, crucem etiam nudam, & omnis spiritualis solatij expertem ac vacuam, amplexari condissemus. Hoc siquidem inter crucem Christi, & crucem Sanctorum interest: quòd Christus crucem, ut erat etiam decorè nuda, scabra, aspera, insuavis, complexus sit; quippe nondum ipsius tactu consecratam ac decoratam, nondum, emollitâ nativâ duritie, de membris ejus sanctissimâ, eâ quam jam habet, suavitate aspersam ac delibutam: ut proinde in cruce nihil nisi crucem, hoc est, omnium acerbitatum complexionem, meram, inquam, amaritudinem inveniens, velut eâ oppressus confectusq; exclamaret: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?*

At plerique Sancti, non jam crucem nudam amplexantur, sed ipso Christo crucifixo ornata, Sponso utique roseo ac mellifluro: ut jam in ipsa cruce nihil minus sentiant quam crucem, sed retusis atq; hebetatis dolorum aculeis, ipsas potius beatorum delicias experiri ac prægustare viderentur. Sic enim permultos Sanctorum Martyrum legimus, dulci illo musto de crucis toreularibus redundante, ita in pœnis suis recreatos hilaratosq; fuisse, ut tanquam eo mero ebrii, vulnera sua non sentirent, quin potius pro candentibus prunis, quas nudis pedibus premere cogentur, rosas se calcare crederent; & inter manus ac tormenta sevientium carnificum, nunquam se dicerent jucundiùs epulatos.

Attamen hoc veriùs felicitatis fuerit quam virtutis. Neque illo musto semper porat DEUS electos suos, sed felle quandoque & absinthio merissimo: ut ne crucem denique propter unctionem adamant, discantq; servire DEO suis impendijs, hoc est (ut etiam S. Ignatius loquitur in Exer- *Reg. 9. ad*
citijs) absque præsentè stipendio divinæ consolationis. At- *moty anim.*
que in hunc modum ingruente spiritus desolatione, dico *Ec.*
enitendum nobis esse, ut ad Salvatoris exemplum consue-
scamus crucem etiam nudam amplexu stringere; aut, quan-
do jam crucem sine Christo non invenimus, eandem cum
Christo, sed desolato ac derelicto, stringamus.

Ad quam etiam mentem S. Teresia sorores suas for- *Itin. perf.*
mabat, cum diceret: DEUM videlicet, dum nobis gustum *c. 17.*
& suavitatem negat, nos quasi generosos milites tractare
velle; nobis in hoc mundo sic crucem imponendo, sicut
eam majestas illius, quoad vixit, tulit: scilicet sine gustu &
suavitate. Proindeq; negabat illum sincerius nobis aut ma-
jus amoris argumentum præbere posse, quam hoc ipsum no-
bis dando, quod ipse sibi aliàs expetierit ac depoposcerit.